

**05**

**A**

**358**





20  
CALVINISMI

EXCUSSIO,

sive

EXERCITATIONES  
ANTICALVINIANÆ,

De fundamentalibus malè-Reformatorum  
erroribus,  
in quibus

Atrocità & horrenda novæ sectæ

Calvinisticæ Dogmata, tum ex veterum, sive Supra-  
lapsariorum, ( ut in Belgio vocantur ) tum ex Recentiorum,  
sive Sub-Lapsariorum scriptis, nec non ex Synodaliū Dor-  
dracenorum Patrum decretis publicis, tum deniq;  
ex Modernis sive Novissimis Syncretistis ἀυτολεξει  
producuntur, ventilantur atque ex-  
tricantur:

*In universum vero omnia eò diriguntur, ut contra hodi-  
ernos Novatores, CALIXTUM præcipuè, palam ostendatur,  
Modernos Calvinistas vetustioribus meliores aut saniores non  
esse, sed in summâ rei amicè conspirare, ac omnes in funda-  
mento fidei enormiter errare,*

XXXII. Disputationibus concinnatæ, nec non anno  
1652. 1653. 1654. ad ventiland. propositæ, exercitijsq;  
Academicis excussæ,  
Autore ac Præside

JOHANNES SCHARFIO, D. P. P.

Colleg. Seniore ac Præposito.

---

WITTENBERGÆ

Typis & Sumptibus JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr. 1655.

CALVINI SM

STABIO

EXERCITATIONES

VITICULTURAE

De fundamentis vitis & Reformationum

et D. Gualtero

in

Artibus & hortibus nove legis

Calvini & Gualteri

in

disputationibus

et

et

et



In unius

et

et

et

et

et

et

et

et

JOHANNES CHALCIDIUS D.P.P.

et

et

et





SERENISSIMO,

AC

POTENTISSIMO PRINCIPI,  
AC DOMINO,

DOMINO

JOHANNI

GEORGIO,

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae &  
Montium, Sacri Romani Imperij Archimar-  
schallo, & inter Electores Seniori, Landgravio Thuringiae,  
Marchioni Misniae, nec non utriusq; Lusatae, Burg-  
gravio Magdeburgensi, Comiti in Marca,  
& Ravenspurgo, Domino in  
Ravenstein,

*Principi ac Domino meo Clementissimo, omnige-  
nam benedictionem & perpetuam felicitatem  
Precor.*

SERE.

SERENISSIME AC POTENTISSIME  
PRINCEPS, ELECTOR, DOMINE  
CLEMENTISSIME,



Ravissima Apostoli Pauli sententia  
atque fidelissima commonefactio est, qua  
conversos Romanos amicissimè compellat,  
eosque ceu fratres suos comiter exhortatur,  
præcipuè verò Doctores & Antistites  
commonet, nec non precatur vehementer,  
ut circumspectè attendant heterodoxias, & scandalorum  
authoribus, nec non in specula constituti sedulo  
vigilent, ne in Ecclesia Christi, quam ipse pretiosissimo  
suo sanguine redemit, dissidia, schismata & scandala susci-  
tentur, quibus innocentes & simplices homines seducipos-  
sint facile atque inescari. Παρακαλῶ ὑμᾶς. scribit in Epistola  
ad Rom: c. 16. Ἀδελφοί, σκοπεῖν τὰς τῶν διχομασίας καὶ τὰ σκάν-  
δαλα παρὰ τῆς διδαχῆς, ἧν ὑμεῖς ἐμάθετε, ποιῶντας, ἐκκλίνατε  
ἀπ' αὐτῶν. Exhortor, admoneo, precor vos fratres, ut specu-  
lemini & observetis eos, qui dissensiones atq; offendicula  
faciunt contrà doctrinam, quam vos didicistis: declinate ab eis.  
Nam qui ejusmodi sunt, Domino nostro Jesu Christo non ser-  
viunt, sed suo ventri: καὶ διὰ τῆς χερσολογίας καὶ εὐλογίας  
& per blandiloquentiam, & assentationem corda hominum in-  
nocentium seducunt. Gravissima certè isthæc parænesis est,  
ejus observatio, si uspiam ullo tempore fuit necessaria,  
nunc profectò ultimis hisce perditissimis & exulceratis-  
simis seculis eò impensius æstimanda, & religiosius tenen-  
da est, quo plures gravioresque passim gliscunt συρράξεις,  
atque increbescunt contentiones ecclesiasticæ. Eheu im-  
manis

manis quanta hinc inde comparet, & undiquaque insur-  
git heterodoxorum, schismaticorum & hæreticorum ca-  
terva. Terrent me omnia & atrocissima minari mala,  
nec non horrendas ecclesiæ Christianæ confusiones, turbas,  
cladesque intentare videntur. Furit Roma, papalis illa  
bestia, & nullum non lapidem movet, ut suas semel com-  
mentas traditioines, ἐθελοθρησκείας, superstitiones & ido-  
lomanias non tueatur modò, sed & omnibus modis, viri-  
busq; & copijs instructissimis propaget, propugnetque.  
O quot phalanges furiarum Belua illa Babylonica protru-  
dit, quæ crudeliter invadunt civitatem Dei, & juxta vatici-  
nium Apost. Pauli Act. XX. v. 29. ceu Lupi sævi Christi  
gregem depopulantur miserè.

Dolendum quàm maximè est, quod non desunt,  
*προσέχοντες πνεύμασι πλάνσις καὶ διδασκαλίαις δαμονίων, atten-*  
*dentes spiritibus istis impositoribus, & doctrinis demoniorum,*  
*propter simulationem falsi loquorum, cauterio notatam habenti-*  
*um conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, juber-*  
*tium abstinere à cibis, quos Deus creavit ad sumendum.* Eheu,  
quid non Prædestinationorū hæreticorum turma machi-  
natur? Callida insimul illa & calida miscet prælia, nec non  
ingruit adeò, ut ex eorum classe, tanquam ex equo Troja-  
no, profiliant falsi doctores, *qui clam inducunt sectas perni-*  
*siosas, etiam Dominum, qui illos mercatus est, abnegantes, ac-*  
*cersentes sibi ipsis celerem interitum.* Quorum exitia non pau-  
ci insequantur, per quos *via veritatis maledictis afficitur, nec*  
*non per avaritiam factitiis sermonibus de nobis negotiantur,*  
Terrifica illa hostium agmina sunt, quæ profectò non  
levem nobis cavendi & vigilandi necessitatem imponunt,  
præsertim cum Novi insuper Turbones hodiè prorumpant,  
succenturiati quasi triarii, qui utrisque, papistis pariter

& Calvinistis prodigioso ausu subvenire contendant, ingentesq; copias in aciem educant. Universi incurstant catervatim, & oppugnare nos nulla non arte & marte indefinenter satagunt. Nos ergo quid suscipiamus? quid agamus? Annon eorum molimina tanto studiosius coerceda veniunt, quanto vehementius grassantur, offenduntque. Oportet sane nos parere monito Apostoli Pauli, idque eò promptius persequi, quò callidioribus grandiloquentijs, assentionibus, phaleratisque verborum lenocinijs causam perorare satagunt, *pacem, pacem clamando, desiderium, & studium concordiae pratendendo, syncretismos venditando.* Scilicet ovinis illi pellibus induti, vulpium instar suggerdiuntur, ecclesiae insidiantur, multosque seducunt, & incasses trahunt suos. Hiccine stertendum est, & securè vivendum, aut tacendum? Annon vox Christi potius audienda est, qua omnibus acclamat, consulitque omnibus, nec non auribus nostris quasi insusurrat: *Cavete, inquit, cavete, non ait, tacete aut inducias pangite: Non ait, negligite, aut alijs committite. Non ait, colludite aut connivete, sed cavete, ~~ωγσέχετε~~, attendite, observate; intrinsecus enim sunt lupi rapaces. Utinam inde nihil periculi metuendum nobis sit! Utinam non sint, qui noceant latenter subrependo! Utinam non sint, qui sub specie amicitiae incautos fallant! Nunc cum omnia periculis plena videantur, observandi omnino sunt, qui ecclesiam Christi turbant, infestantque. Tu igitur vigila, monet Apostolus. II. Tim. IV. v. 5. in omnibus labora, opus perage Evangelistae, ministerium tuum imple: Hoc est, inquit S. Chrysostomus: *Prævenire litem istam stude, atq; in tuto oves constitue, quamdiu lupi alicubi adsunt, labora.* Hoc utique agamus oportet. Vigilandum sedulò est. Sermo enim eorum serpit, sicut gan-*



gangræna ut verè scribit Apostolus, ὁ λόγος αὐτῶν ὡς  
γαγγαῖα νομὴν ἔξει, depastionem habet re instar cancri, uti  
non immeritò super hunc locum commonent inter-  
pretes, cui nisi maturè resistas, vicina membra facilè de-  
pascuntur, nemine animadvertente: Serpit enim qua-  
si in occulto, præsertim is, qui cancer absconditus voca-  
tur, & est in partibus corporis penitioribus, & latentibus,  
de quo Ovidius l. 2. *Metamorph.*

*Usq; malum latè solet immedicabile cancer*

*Serpere, & illæsis vitiatas addere partes.*

Sed notanter loquitur Apostolus de *gangræna*, quæ  
est perniciosissimus morbus, solidorum corporum mor-  
tificatio, maximasque sequitur inflammationes. A can-  
cro ita differt, quod cancer uni membro infixus hæret,  
lentumque ac diuturnum malum est; Gangræna verò  
nisi statim sistatur, subitò & brevi temporis spacio totum  
corpus occupat, hominique præsentissimam mortem in-  
fert. Tali morbo confert Apostolus hæreses seu profana  
& vana dogmata, quæ, nisi statim eis resistatur, subitò vires  
acquirunt, integrosq; cœtus inficiunt, cum præsentissima  
animarum morte. Etiam si enim primum nihil noxij  
subesse videtur, ita tamen lento quasi gradu vitium attra-  
hunt, ut medicinam tandem non admittant. Hæc cum  
omnino ita sint, non possumus aliter, quin tempestivè ob-  
viemus malis, & resistamus alacriter, ne invalescant ni-  
mium, & quasi diluvio inundent orbem Christianum.  
Ecce verò disertè loquitur Apostolus de *vocum Novitati-  
bus, de novis, vanisq; dogmatibus*, νενοθημένας, inquit περιεπαρο  
(Chrysostomus Homil. 5. & Oecumenius in h. l. legerunt νενο-  
θημένας: & ante hos Tertullianus 16. de præscript. nec non Am-  
brosij nomine dictus interpres) Vaniloquentiam, & novita-  
tis stu-

tis studium cohibe: *ad majorem enim procedent impietatem, & sermo eorum depascet, ut gangræna.*: Ex quibus est *Hymeneus & Philetus, qui circa veritatem aberrant à scopo.* Hæ ipsissimæ pestes sunt, quas graphicè designat, & quasi digito monstrat Apostolus, ut omnes sibi ab illis diligenter atque sollicitè caveant, notante ac monente ipso Calvino super h. l. *Nam si latere, inquit ille, tales homines, qui perniciem toti ecclesiæ machinantur, patimur, quodammodo illis facultatem damus ad nocendum. Tegenda sunt quidem fratrum vitia, quorum contagio non latius grassatur: Ubi autem multise est periculum crudelis est nostra dissimulatio, nisi in tempore malum ipsū latens prodimus. Quid enim? An ut uni parcamus, nostro silentio peribunt centum aut mille? Neq̄, verò soli Timotheo hoc dictum Paulus voluit: Sed omnibus gentibus ac seculis testatam esse voluit duorum hominum impietatem, ut viam percluderet prave & exitiali eorum doctrine.* Hæc profectò ubi ceu gangræna serpere incipit in corpore ecclesiæ ejusque partibus, tum utique officium Pastoris est, tanquam periti Chirurghi, prospicere, ne in νέκρωσι & σφάκελον degeneret, & contagioni suos quasi fines circumscribere, ne sana membra invadat. Hoc opus, hoc studium, hic labor noster est. Hæc causa præcipua est, quæ me maximopere permovit, ut non tantum in initio statim hodiernarum contentionum ecclesiasticarum vigilare voluerim, & officij necessitate inductus in publico Programmate, studiosos Theologiæ Wittebergenses commonuerim, ut sibi à novis & vanis hodiernorum turbonum dogmatibus caverent sedulò, ne blandiloquentijs & sublimibus sermonibus deciperentur, sicque tandem in pessimos præcipitarentur errores sed & disputationibus insuper aliquam multis, & scriptio-

nibus

nibus polemicis reprimere gliscentia mala, & propulsare conatus fuerim.

Nunc istud porrò discutiendum venit, quod non sine insigni periculo, damnoque maximo, de consensu religionum & concordia ecclesiarum in Europa, in Imperio præcipuè Romano, speciosè venditant Novatores, hodierni Syncretistæ. Nimirum concordiam illi & communionem spiritualem cum Papistis pariter & Calvinistis sancire ac stabilire contendunt, ex eo potissimum capite, ac isto Schemate, quod in fundamento fidei salvificæ dissensus nullus sit, nec capitales errores inter nos intercedant, sed in ijs omnibus, quæ scitu credituque necessaria sunt ad salutem, amicè conspiremus. Hæc larva cum primis detrahenda est. Et hoc caput causæ est, quod impræsentiarum prensare suscepimus. Videlicet eò collineant Exercitationes nostræ Anti-Calvinianæ, ut contra hodiernos Novatores, Calixtum præcipuè, palam ostendatur, modernos Calvinistas vetustioribus meliores aut saniores non esse, sed in summa rei amicè conspirare, ac omnes in fundamento fidei enormiter errare. Quamobrem id sollicitè accuravi in præsentī collegio Anti-Calviniano, ut atrociam & horrendam novæ sectæ Calvinisticæ dogmata, tum ex veterum, sive Supra-lapsariorum, (ut in Belgio vocantur) tum ex Recentiorum sive Sub-lapsariorum scriptis, nec non ex Synodaliū Dordracenorum Patrum decretis publicis, tum denique ex Modernis, s. Novissimis Syncretistis *αυθλεξεί* producerentur, ventilarentur, atque extricarentur. Quæ profectò, nisi emendata prius fuerint, & è scholis ecclesijsque malè-Reformatorum eliminata penitus, vana atque inania omnia erunt, quæ hodierni Syncretistæ sive Calviniani, sive Patroni eorum, & advocati, de studio & desiderio concordie splendidè rhetoricantur, magnoque hiatu ebuccinant.

Tibi verò, *Serenissime Elector, Domine Clementissime*, hæc meas operas Theologicas offerre ac inscribere volui, debui, tum ut *Serenissime T. celsitudini* labores studiorum & officiorum meo-

rum ultra triginta annos in Wittebergensi Academia exantlatos humillime commendarem, tum *augustissimo T. Serenitatis arbitrio, judicioq;* cuncta, tam quæ in præsentia contra Calvinianos disputantur, quàm quæ hæctenus inter me & adversarios, obrectatores meos, peracta fuere, pronus submitterem: tum præcipuè, ut publicum devotionis, pietatis, obedientiæ & gratitudinis meæ monumentum statuerem, idque in fano quasi æternitatis suspenderem. Quanquam enim majora sunt, *Serenissime Elector*, in me merita, beneficia & charismata, quàm ut à me enarrari satis, necdicam, deprædicari queant, dissimulanda tamen non sunt, quin potius eò magis mihi extollenda veniunt, quò plura in me lustris non paucis clementissimè collata sentio. Nec aspernaberis, scio, quod sale ac farre litamus, cum per Hecatombas

*Ire vel auratos ————— tauros*

offerre non liceat. Annus modò fluit *trigesimus septimus*, ex quo singulari divina dispositione in *Academiam Wittebergensem*, florentissimum illud, celebratissimumque Musarum emporium, & uberrimum omnivariarum literarum, humaniorum studiorum, linguarum & artium liberalium, scientiarum Philosophicarum pariter atque Theologicarum Athenæum, haut inauspicatò appuli. Cujus sinus ab illo tempore in præsentem usque diem me haut ægrè fovit, necnon varijs allevamentis, subsidiorumque & beneficiorum generibus affatim comiterque affecit. Quæ omnia, uti quidem hoc loco exponere singulatim, aut decantare prolixius non licet, nec forsitan fas est; Ita tamen non possum, quin ve exinde agnoscam, ac devotius semper venerer *Clementissimam, & munificentissimam Serenitatis Tuæ, Elector Clementissime*, voluntatem, quàm Wittebergensem Universitatem perpetuò quam beneficentissimè complecteris, foves, alis, tue- ris, protegis, amplificasque. Certè quicquid inde bonum in nos, inque universum orbem Christianum redundat, id post *Jehovam Deum, despotam supremum, Tuæ Serenitati* nos totum

atque in solidum debere, ingenuè fatemur. Et ego quidem ed  
devotius in pensusq; Te, *Electore Serenissime*, suspicio, venerorque,  
quò commodius in Electorali Tuo Lycaeo cœpta quæque studio-  
rum Juvenilium genera excolere, nec non auspiciore semper  
sorte ac felicitate continuare atque perficere licuit. Vix ingressus  
Urbem, offendo socios studiorum, qui sicuti manu ductione mea  
quali quali uti cœperant, sic non exigua sponte offerebant viven-  
di commoda & subsidia, quibus *in tertium usq; annum* non parum  
sublevabar, donec in Philosophicis Scholis & exercitijs ea spatia  
conficerem, ut *anno 1620.* non sine insigni Collegij Philosophi-  
ci favore, promotorum præsertim, *Dn. M. Abrahami Heineccij eo  
tempore Decani, Dn. Jacobi Martini, Dn. D. Rhodij Mathematici, &  
Dn. Buchneri Philosoph. Prof. Publ. nec non M. Ægidij Hunnij, Facul-  
tatis Philosophicæ Adjuncti*, examinatorum meorum judicio se-  
ptimus inter 39. candidatos, (absit jactantia dicto) summum in  
Philosophia honorem, & Magisterij titulum gradumq; adeptus,  
liberiores post modum scholas aperire, ac collegia Philosophica  
instituire potuerim.

Quantam in illis Academicis exercitijs, lectionibus priva-  
tis, & disputationibus, quâ publicis, quâ privatis diligentiam ad-  
hibuerim, & quo applausu & fructu studiosorum & auditorum  
docuerim, nihil attinet impræsentiarum commemorare. Neq;  
enim verbis opus est, ubi rerum testimonia prostant. Id tamen  
oblivione sepeliendum aut delendum non est, quod *tertio postea  
anno, 1624.* in Collegium Philosophicum receptus, & numero  
adjunctorum, quos vocant, adscriptus, nec non inde rursus *anno  
tertio 1627.* singulari prorsus dispositione divina *in corpus Acade-  
micum & Professorum publ. ordinem adscitus fuerim, ut Logicam &  
Metaphysicam publicè profiterer.* Quam provinciam ad annos vi-  
ginti duos sustinui: Sustinui verò medios quoque inter bello-  
rum armorumque strepitus, inter grassantes pestes, inter pres-  
suras angustiasque non paucas, non exiguas, inter labores con-  
catenatos gravissimos. Sed Deo sit, laus, honor & gratiarum.

anno, omnia feliciter sustinui. Factum enim inde est, ut post alias collatas dignitates *Licentiatura*, ut vocant, & *Doctoratus Theologici*, non tantum alia insuper *Professiones Philosophica, practica* nempe *Philosophia, Ethices & Politices*, mihi ordine adjungerentur, sed & per Clementis. diploma Electoris *extra ordinaria Theologica Professio* demandaretur, usque dum in collegium Theologicum eveherer, sicque tandem *anno 1649. ordinariam Theologicam Professionem*, fato prorsus mirabili & tremendo, nactus fu-  
erim. Quæ statio etiamnum me tenet, inque ea id ago totus, ut Deo, superioribus, omnibusque bonis mea functionum, officiorumque opera, laborando fideliter & orando indefinenter, probare queam. Malevolis verò & obtrektoribus solum conscientia bonæ scutum intrepidè obverto.

De cætero testentur præsentis Exercitationes Anti-Calvianæ: Quas ut Tuæ, *Serenissime Elector*, Celsitudini offerre ac dedicare volui, sic nullus dubito, quin eas Serenissimo vultu dignari haut graveris. Suscipe, quæso, exiguum munus, idq; facili fronte admitte. Ego verò, quod officij mei est, fideliter pergam, & quæ pietatis pars præcipua est, non desistam, *Te cum tota domo Celsis: & aula illustrissima* in conspectu altissimi perpetuò sistere, Deumque Opt. Max. & Supremum despotam, devotis, calidissimisq; precibus & suspirijs diu noctuq; invocare, ut *Te per multos porrò annos sospitet, vegetet, servet, omniq; gratia, benedictione ac felicitate quam copiosissimè cumulet, coronetq;* *Immota stet domus Tua & incolumis: Ruta Saxonica continuo floreat, vireat, vigeat, augeatq; indefinenter, ut fiat arbor altissima, frondosissima, & amplissima, sub cujus umbra securè ac tranquillè vivant habitentq; populi multi, sitq; maneatq; univèrsæ Ecclesiæ Christi refugium semper exoptatissimum, tutissimūq;* *Ita voveo, ita precor.* *Witteb. dab in meo Museo an. MDC, LIV, d. 28. August.*  
*Sereniss. Tuæ Celsitudin.*

*Subjectissimus & devotissimus Servus*  
Johann. Scharfius D. Prof. P. Colleg.  
Senior & Templi Cathedr. Præpositus.

05 A 358


**ULB Halle** 3  
004 210 131  


V 217









80

CALVINISMI  
*EXCUSSIO,*  
*sive*  
EXERCITATIONES  
ANTICALVINIANÆ,

De fundamentalibus malè-Reformatorum  
erroribus,  
*in quibus*

Atrocía & horrenda novæ sectæ  
Calvinisticæ Dogmata, tum ex veterum, sive Supra-  
lapsariorum, ( ut in Belgio vocantur ) tum ex Recentiorum,  
sive Sub-Lapsariorum scriptis, nec non ex Synodaliū Dor-  
dracenorū Patrum decretis publicis, tum deniq;  
ex Modernis sive Novissimis Syncretistis ἀυθλεξεί  
producuntur, ventilantur atque ex-  
trlicantur:

*In universum vero omnia eò diriguntur, ut contra hodi-  
ernos Novatores, CALIXTUM præcipuè, palam ostendatur,  
Modernos Calvinistas vetustioribus meliores aut saniores non  
esse, sed in summâ rei amicè conspirare, ac omnes in funda-  
mento fidei enormiter errare,*

XXXII. Disputationibus concinnatæ, nec non anno  
1652. 1653. 1654. ad ventiland. propositæ, exercitijsq;  
Academicis excussæ,  
*Autore ac Præfide*

JOHANNES SCHARFIO, D. P. P.  
Colleg. Seniore ac Præposito.

WITTENBERGÆ  
Typis & Sumptibus JOHANNIS RÖHNERI Acad. Typogr. 1655.